



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXXX. De dispensatione ad contrahendum matrimonium, deque
errore in ea commisso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LXXX.

*De dispensatione ad contrahendum matrimonium, de-
que errore in ea commisso.*

CAjus vult matrimonium contrahere cum Caja divite puella, sed cum audiat, eam in tertio affinitatis gradu sibi conjunctam esse, dispensationem à Pontifice petit, re tota sincere eidem proposita. Pontifex perfecta supplicatione committit Vicario Generali, ut si noverit preces veritate niti, dispense cum Cajo ad ducendam Cajam; sed cum in Bulla Pontificia erratum sit, & loco affinitatis positus sit tertius gradus consanguinitatis, ac loco Caji positum sit nomen Titii, & loco Diocesis A. Diocesis B. idcirco Vicarius Generalis dubius hæret, an cum Cajo dispensare possit? Unde

QUÆR. I. Utrum Vicarius Generalis, non obstante eo errore, quod in Rescripto positus fuerit tertius gradus consanguinitatis loco tertii affinitatis, dispensare nihilominus potuerit, ut dictæ personæ matrimonio jungantur?

QUÆR. II. An error, qui committitur in nomine mutato, vitiet Rescriptum, seu dispensationem?

QUÆR. III. An & qualis Vicarius Generalis exequi possit commissionem, quæ per errorem sit Officiali, seu Vicario Gen. Diocesis A. loco Diocesis B.?

463 **A**D I. Q. Noto, posse aliquam qualitatem adjici Legatis, Rescriptis &c. causâ demonstrationis, & causâ taxationis. Quando autem censetur aliquid adjectum causâ demonstrationis, & quando causâ taxationis, explicat Fel. C. super litteris n. 4. de Rescriptis. ubi cum aliis Jurisperitis hanc tradit regulam.
Gracia

Gratiâ demonstrationis censetur aliquid apponi, quando sub diversis verborum conceptionibus exprimitur; causâ verò taxationis, quando sub una verborum conceptione exprimitur. Exemplum ponunt in legatis, ubi si præcedat dispositio testatoris significans, quid solvi debeat, & postea subnectatur præstatio, unde faciendâ sit, ac proinde duæ sint orationes, additio illa videtur apposta gratiâ demonstrationis, unde non limitat dispositionem, sed solum demonstrat, unde facilius solvi possit, & sic quamvis deficiat, adhuc debetur; quando verò unica est oratio significans, quid, & unde solvi debeat, tunc illa assignatio taxat dispositionem, ac ea deficiente deficit, v. g. lego centum, quæ sunt in arca, vel quæ mihi debet Cajus, ubi, si non sint in arca, vel Cajus non debeat, perit legatum. Aliud exemplum in Beneficiis ponit Borojus in 1. lectura n. 45, ut sit causa demonstrationis, v. g. confero tibi hoc Beneficium, quod fuit erectum in tali Ecclesia pro dignitate, vel quod est dignitas in tali Ecclesia; Causa verò taxationis, confero tibi dignitatem talis Ecclesiæ &c. Verum hanc regulam non procedere universaliter latè probat Tambur. de Sacrif. Miss. l. 3. c. 1. §. 3. n. 80. cum res à Notariis, seu scribis dependeat, qui vel unica oratione, vel multiplici legatum suo arbitratu, & sine ullo delectu scribere so-

lent. Sanch, verò l. 8. D. 21. ait, eam regulam benè adaptari posse legatis, & Contractibus; non autem dispensationibus, & Beneficiorum impetrationibus, quia cum forma communis sic se habeat: proponit supplicans se esse conjunctum in tali gradu cum foemina, quam vult ducere; in beneficii verò impetratione: proponit in tali Ecclesia vacare Beneficium curatum; & Pontifex simpliciter respondet, si ita est, dispensetur, vel conferatur, vel ipsemet conferat, censetur, semper adjectam esse qualitatem per modum taxationis, & ita inutilem fore dispensationem, cum semper sit unica oratio: Unde concludit non esse sufficiens signum ad colligendum apponi gratiâ taxationis, unicam esse orationem, sed aliunde id petendum esse. His præmissis.

Ad 1. Q. Videtur, non posse 464
Vicarium Generalem dispensare cum Cajo, & Caja ad contrahendum, quia, licet quando error qualitatis adjicitur per modum demonstrationis non faciat inutilem dispensationem, vel Rescriptum, quando de corpore, sive rei substantia constat; error tamen qualitatis adjectæ per modum taxationis, ita ut rei substantiam designet, & contineat, omninò vitiat dispositionem, vel Rescriptum, ut colligitur ex dictis, & C. super litteris cit. de Rescript. Atqui
error,

error, qui irrepsit in posito casu, haud dubiè est circa qualitatem pertinentem ad rei substantiam, ideòque adjectam per modum taxationis.

465 Nihilominus dicendum est, errorem illum, qui in posito casu irrepsit, nullatenus vitiàsse dispensationem illam Pontificiam. Ratio est; quia verba debent servire intentioni; non autem intentio ipsis verbis: atqui intentio Pontificis fuit, velle dispensare in tertio affinitatis gradu, quia haud dubiè voluit Pontifex dispensare super eo ipso matrimonii impedimento, quod sibi propositum fuerat, & de quo petebatur dispensatio; propositum autem fuerat impedimentum affinitatis, & de hoc petita fuit dispensatio: ergo in illo voluit Pontifex dispensare, sive ejus dispensationem Vicario Generali committere; ut adeò error ille præter mandantis intentionem ex scriptoris incuria irrepsit, & idcirco omninò materialem censendum esse, cujus ratio habenda non est: atque adeò posse Vicarium Generalem executioni mandare commissionem illam sibi à Pontifice factam, siquidem sufficienter sibi constet, errorem illum non fuisse commissum à Ca-jo in ipsa supplici petitione.

Nec obstat citt. *C. super literis*, ubi habetur, quòd verba Rescripti sint strictè accipienda, & ad alios

casus, quàm expressos, non extendenda.

Nam ibi statim subjungitur: *nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè*: ex quo potius probatur tradita suprà resolutio, cum hïc de mente Pontificis nullatenus dubitari possit, ut suprà insinuatum est.

Aliud tamen foret, si in ipsa Oratoris supplicatione per errorem loco affinitatis posita esset consanguinitas, vel loco Consanguinitatis affinitas. Tunc vitiaretur Rescriptum juxta Stylum Curiaë, qui exigit verum impedimentum exprimi teste Corrad. in Curia diu versato, in Praxi dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 71. & seqq. Accedit, quòd impedimenta illa sint diversa, & secundùm se differant specie, nec unum includatur in altero, dispensatio autem, cum sit odiosa, nequeat extendi ad casum diversum, etsi par vel major ratio sit pro altero casu, ut notat Felin. *C. Postulasti de Reser.*

Ad 2. Q. Quando erratur in nomine illius, quo cum dispensatur, videtur, dispensationem subrepticam, & irritam esse: argumento tum ex *C. significante de Rescript.* desumpto, ubi petitum fuit à Pontifice Rescriptum contra G. Remensis Diocesis, cum tamen non esset Remensis, sed Leonensis, & decisum est, Rescriptum

scriptum esse subreptitium. Tum quia privilegium intelligitur juxta verba in supplicatione posita, ut cum aliis docet Jas. l. Gallus, in 1. lectura §. idem credendum n. 10. in supplicatione autem est petita dispensatio personæ proprio nomine signatæ, adeoque non extenditur ad eam, quæ illud nomen non habet.

Verùm spectato jure communi tenendum est contrarium cum Host. C. super litteris n. 12. de refer. Ant. c. significante cit. n. 9. Fel. ibi. 1. Sanch. cit. D. 21. Laym. t. 4. c. 22. n. 27. Petr. Ledesm. c. 17. dub. 2. Diana tr. 10. de leg. R. 36. Ratio est, quia, ut supra dictum est, in Rescriptis intentio potius, quam verba, attendenda est. Intentio autem dispensantis re vera fuit dispensare cum eo, qui proposita causæ æquitate, & veritate dispensationem suppliciter petit; neque etiam decet, ut ejusmodi involuntarius error veritatis intentioni aliquid derogat.

Conf. Quando constat de corpore, error proprii nominis non vitiat Rescriptum, ut liquet à simili ex l. si quis in fund. 4. ff. de leg. ubi: si quis in fundi vocabulo erraverit, & Cornelianum pro semproniano nominaverit, debetur sempronianus. Item inst. de leg. 9. si quis in nomine. Ubi: Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator erraverit, si de persona constat, ni-

hilominus valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.

Atque Adeo quando ex aliis circumstantiis non constat, à concedente spectatam esse personam sibi notam, habitamque specialem illius rationem ad concedendam dispensationem, sed constat eodem modo concedendam cuicumque petenti, propositis justæ causæ meritis, dicendum est, errorem nominis tunc non vitare dispensationem; quia tunc mens concedentis est propositæ causæ justæ merita attendere, & quamvis erretur in nomine personæ, intentionem dirigere ad eam, cui verè petitur, seu quæ supplicat pro gratia obtinenda, cum ipsa persona nullum secundum se dispensandi motivum tunc præbeat, sed ipsa merita causæ, quæ proponitur. Unde

Ad argumentum in contrarium, ex C. significante R. Rationem decisionis illius textus fuisse, quod ex nullo adjecto potuerit constare de persona, contra quam fuit Rescriptum impetratum; si enim ex aliis circumstantiis de illa persona constaret, Rescriptum valeret, non obstante errore in designatione Diocæsis, ut ibi tradunt Innoc. n. un. Abb. n. 4. Imol. n. 4. Sanch. l. c. Fel. & alii. Nec obest, privilegium intelligi

telligi juxta verba in supplicatione posita; nam id verum est de substantialibus contentis in supplicatione, & quando aliunde non constat de mente concedentis, & persona, cui fuit verè intentio impetrandæ gratiæ, ut cum aliis citt. docet Host. l. c. Dixi spectato jure communi; nam juxta Stylum Curie Romanæ exprimi debent propria Oratorum nomina, secus vitiatur Rescriptum, teste Corrad. *Prax Dispens. Apost. l. 7. c. 5. n. 4. & seqq.* qui fuit Officialis Dispensationum Apostolicarum in Cancellaria Romana, ut scilicet evitentur multæ fraudes, quæ ob mutationem nominis sub colore erroris intervenire possent; excipit tamen idem Corrad. nisi error esset minoris considerationis consistens præcisè in mutatione alicujus litteræ, vel Syllabæ, ut si poneretur *Antonius* pro *Antonino*, vel *Bernardus*, pro *Bernardino*. Porrò etsi Stylus Curie ita habeat, error tamen nominis in Rescripto Caji commissus illud non vitiavit, quia non fuit commissus ab Oratore Cajo, nec positus in ejus supplicatione, sed à rescribente, seu Rescriptum expediente: ubi non pugnat ratio à Corrado adducta.

467 Ad 3. Q. Quando scilicet petens dispensationem in supplicatione expressit se esse Diocesis v. g. Constantiensis, uti revera esse ponitur, & in Rescripto per erro-

rem committitur dispensatio Officiali Eystettensi, cum deberet committi Constantiensi, an & qualis tunc dispensare, seu commissionem exequi possit?

R. Non posse Eystettensem; posse autem Constantiensem. Ratio prioris partis satis liquet; quia cum id per errorem acciderit, deficit intentio Pontificis committentis, cujus mens, & voluntas fuit dispensationis executionem committere legitimo superiori, sive Ordinario ipsius petentis seu impetrantis dispensationem, prout præscribitur à Trident. *Sess. 22. c. 5. de Ref.* legitimus autem Ordinarius impetrantis non est Eystettensis: sed Constantiensis, uti ponitur; ergo huic, & non illi committere voluit executionem.

Quod autem Constantiensis, qui est legitimus Ordinarius, non obstante eo errore, qui irrepsit, possit dispensationem executioni mandare, colligi potest ex suprâ dictis; quia mens Pontificis fuit id committere vero, & legitimo Ordinario impetrantis, qui est Constantiensis, estque per accidens, & quasi materialiter se habet, quòd hic fuerit per errorem appellatus Eystettensis: atqui quando de corpore constat & mente concedentis, non obest error nominis, ut dictum est suprâ. Quod

Conf.

Conf. Quia non minus est de gratia substantia ipsa persona, cui gratia conceditur, quam ejus gratia executor: si ergo error in persona non vitiat, ubi constat de corpore & mente concedentis, nec vitiat error in executore, ubi pariter de corpore constat, & mente dispensantis.

Dixi supra si petens in supplicatione expressit se esse Diocesis Constantiensis, uti revera esse ponitur; nam si ipse in supplicatione errasset, ponendo nomen Diocesis Eystettensis loco Constantiensis, contrarium tanquam verius asseritur à Sanch. citt. cum aliis à se citt. Rationem dat, quia in eo eventu non tantum erratum est in nomine, sed erratum est, asserendo, petentem esse Diocesis Eystettensis, & virtualiter petita est commissio Officiali Eystettensi, atque illi noluit Pontifex committere, cum commissio fuerit involuntaria, utpote orta ex errore; & quamvis si petita esset vero Ordinario Constantiensi, illi committeretur, at

illi nec petita est, nec commissio. Id, quod ipse ex Abb. & Baldo exemplis confirmat. Conf. 2. ex Stylo Curiae, juxta quem si error contigerit in nomine Diocesis, positus à supplicante Oratore, invalidam reddit Dispensationem, ut testatur Corrad. l. c. n. 28. & alii. Quia eo casu nullus Ordinarius exequi posset litteras; non proprius Oratorum, quia eidem, ut supponitur, non fuit data commissio: nec etiam ille, cui per errorem data est; quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium delegare intendit, prout praescribit Trident. Sess. 22. c. 5. de Ref. Ut ergo dispensatio sit legitima, & valida, debet in supplicatione exprimi Diocesis utriusque, tam Oratoris, quam oratricis, ut notat citt. Corrad. n. 25. 26. si sit diversa, ita ut ad Ordinarium Oratricis mittatur Rescriptum, eique committatur executio, prout huic committi aliàs solent Dispensationes matrimoniales.



CA-